



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis**

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et  
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In  
sex partes tributæ

Qvæ Meditationes Complectitvr circa omnia Christi Domini Acta, ab eius  
Baptismo ad finem vsque Prædictionis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1612**

41. De Lazari resuscitatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

viuentes filios exultaret. Siquidem igitur Domine, hanc animi lætitiã ei dare potes, ne quæso illi eam deneges: vt nomen tuum glorificetur, dicamusque, quod præsens ibi turba, hoc miraculum videns, dixit: *quia* *Luc. 7. 16.* *Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.*

## MEDITATIO XLI.

DE LAZARI RESUS-  
citatione.

## PUNCTVM I.



**E**RAT a quidam languens a *Ioan. 11.*  
*Lazarus*, Marthæ & Ma- *1. &c.*  
riæ frater: quos omnes Ie-  
sus valdè diligebat: Mi-  
serunt ergò sorores eius ad  
Iesum dicentes. Ecce, quem  
amas, infirmatur.

His verbis docemur modum quendam o-  
randi breuem, perfectum, & valdè efficacem, *Modus o-*  
propriumque virorum spiritualium, qui in *randi aptº,*  
vtraque vita Actiua & Contemplatiua, per *Li. de modo*  
Martham & Mariam indicati, diu se exer- *orandi. c. 2.*  
cuerunt: quem Hugo de sancto Victore  
appellat modum orandi per **INSINUATIO-**  
**NEM.** Consistit autem in proponenda aut in-  
sinuanda Deo breuissimè, corporis aut

animæ necessitate aliqua, quam patior, allegato tantum amoris titulo, quomè ipse prosequitur: in reliquis tota mei remedij cura, ipsius diuinæ prouidentia relictâ, magnâ interim in eum fiducia & resignatione in eius voluntate. Nam, si sciam, me ab eo amari, hæc insinuatio sufficet, vt certè credam, quamuis ego nihil petam, facturum ipsum, quod mihi magis expedit. Hæc orandi ratio præsupponit magnam amoris Dei in nos æstimationem, magnam de eius bonitate fiduciam, & magnam denique in eius voluntate resignationem: qua non quærimus aliud, quam quod ipse voluerit; quod ad remedium attinet necessitatum nostrarum, locum, tempus, & modum illis subueniendi.

HIS affectibus frequenter & cum animæ tranquillitate repetam illam iaculatoriam: *Domine ecce quem amas infirmatur*. licebit autem loco huius verbi infirmatur, similia alia substituere sic: ecce quem amas tristis est, desolatus, tepidus, aridus, indeuotus, iratenatur, impatientia, superbia, exul est à Cælo, in periculo mortis versatur & æternæ damnationis, &c.

ITEM loco illius verbi *quem amas* licet alia ponere, quæ amoris etiam titulos complectantur, vt si dicam: Domine ecce, quem ad imaginem & similitudinem tuam creasti, eam imaginem amisit; quem pretioso tuo sanguine redemisti,

peccatis est maculatus; quem in sacro Baptifmate in filium adoptasti, à multis hostibus obfidetur, qui illum opprimunt; quem ad statum religiosum elegisti, multis imperfectionibus est plenus, quæ illum deturpant. Et moram in singulis his iaculatoriis trahens, effundam cor meum in conspectu Dei, sperans, daturum ipsum mihi, quod magis expediat; me verò resignans ad amplectendum quicquid ipse stauerit. Hæc orandi ratio est illi similis, quam beatissima Virgo in Nuptiis adhibuit, dicens: *Fili, vinum non habent;* Et illi, quæ sponsa in sinuauit, cum dixit: *c adiuuro vos filia Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei: quia amore langueo,* atque si diceret: *sufficit illi innotescere, quod langueam; vt meo morbo medeatur.*

b Ioan. 2. 3.

c Cant. 5. 8.

## PUNCTVM II.

**A**VDIENS a IESVS dixit ei: *Infirmetas hæc non est ad mortem; sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam, & tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.*

a Ioan. 11. 4.

Hoc tempore mortuus est Lazarus.

Hoc responsum ita disposuit CHRISTVS I. Dominus noster, tum vt pias illas sorores consolaretur; tum vt earum virtutem fortiter probaret, & appareret, quanta esset re ipsa fides & resignatio, quam in sua oratione ostendebant. Primum itaq; considerabo, qua ratione Christus Dominus afflictas illas sorores consola-

tur, efficacissimo consolationis modo, qui esse potest super terram: dicens illis, infirmitatem Lazari, & morbos, ac calamitates electorum, siue sint corporis siue spiritus, omnes dirigi ad gloriam Dei, & suam: & scire se, eorum euentum priusquam accidant, & commodum quod ipse sit ex eis extracturus. Hæc autem Dei gloria, aut in eo elucet, quod ab huiusmodi calamitatibus, nobis minimè cogitantibus, admiranda quadam ratione nos eripit; aut eisdem perseverantibus, admirandam nobis patientiam, & alia magna eius gratiæ dona nobis elargitur. O gloria mea & Domine mi, si re ipsa ita est, quod infirmitates & calamitates meæ in tuam cedunt gloriam, adueniant feliciter, nullam volo refugere, ne tuam imminuam gloriam: gloriabor potius in illis, in quibus tu glorificaris *b libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.*

*b 2. Cor. 12.  
9.*

## II.

DEINDE perpendam magnam verè probationem & afflictionem harum sororum, cum viderunt, Lazarum fratrem suum mori; cum tamen Christus ipsis significasset, infirmitatē illam non esse ad mortem. Sed Christus id fecit, ad probandam earum fidem, & iudicij resignationem; in ijs, quæ non assequebantur. Et ad probandam & exercendam patientiam & resignationem, cum re ipsa cōtrarium eueniret, quàm ipsæ desiderabāt. In his duobus probare cōsuevit Deus excellentes sanctos, sicut Abrahamum probauit, cum iussit sacrificari sibi eius filium, de quo tamen promiserat, in-

*c Gen. 22. 2*

nume.

numeram fore ipsi successione, & vt de eo ait  
 Apostol. *d qui cōtra spem in spem credidit: quia* *d Rom. 4. 18*  
 credidit posse Deum illum resuscitare. Idem  
 autē Christus Dominus volebat has duas La-  
 zari sorores præstare; idemq; me facere decet,  
 si quando Deus mihi cōtrarium dederit, quàm  
 petam: vt si petenti sanitatem aut humilitatē  
 permittat infirmitatē augeri, aut grāuius me  
 à superbia tentari: tunc enim opportunè illud  
 iob vsurpabo: *e etiamsi occiderit me, in ipso spe-* *c Iob. 13. 15.*  
*rabo: veruntamen vias meas in cōspectu eius ar-*  
*guam; & ipse erit Saluator meus.* O Saluator  
 dulcissime, in tuas manus me proicio, tibi  
 iudicium meum subdo, & voluntatem; meque  
 promptum offero ad amplectēdum quidquid  
 tu statueris: & quamuis me occidas, non ta-  
 men spem deponam, quòd me possis suscitare:  
 et si dixeris me non moriturum, experiar ta-  
 men me mori, credam in spem contra spem,  
 intelligens hanc mortem allaturam mihi me-  
 iorem vitam.

## PUNCTVM III.

**D**EINDE a post duos dies dicit discipulis *a Ioan. 11. 7.*  
*suis, eamus in Iudæam iterum: & dicēti-*  
*bus discipulis, Rabbi, nunc quærebant te*  
*Iudæi lapidare? & iterum vadis illuc?* ipse ni-  
 hilominus perstitit in sententia, nam vbi de  
 glōria Patris agebatur, omnes mundi difficul-  
 tates per rumpebat. Quò autem illos ad idem  
 faciendum excitaret duas illis attulit insignes  
 rationes.

I.

b *Iob. 14. 5.*

PRIMA ratio fuit: *nonne duodecim sunt ho-  
ra diei?* quasi diceret, sicut dies duodecim ha-  
bet horas, nec fieri potest vt illas non expleat:  
sic dies vitæ meæ, & vestræ ac singulorum ho-  
minum horas habet à diuina ordinatione  
præscriptas, iuxta illud b *breues dies hominum  
sunt, numerus mensum eius apud te est: consti-  
tuisi terminos eius, qui præteriri non poterunt.*  
Quare secure aggredi possumus, quidquid  
erit ad gloriam Dei, absq; vlllo timore vitam  
amittendi antequam Deus velit, & statutum  
habuerit. Et eo magis, quòd in duodecim ho-  
ris diei, & homines & res ipsæ mutantur: De-  
usque ipse immutat voluntates, quare pro-  
pter ea, quæ in prima diei hora fuerunt, nihil  
est timendum: nam fortè erit mutatum ante  
vltimam.

II.

c *Psal. 54.*

24.

d *Amos 8. 9*

SECUNDA ratio fuit: *si quis ambulauerit in  
die non offendit: quia lucem huius mundi habet,*  
quasi dixerit, qui in veritate ambulat coram  
Deo, non est quod timeat: veritas enim & lux  
Dei liberabit illum à lapsu, & à morte, quam  
diu Deus voluerit eum viuere. *Si autem am-  
bulauerit in nocte & in tenebris, ille timet &  
offendit quia lux fidei & gratiæ non est in eo:*  
ideoque in poenam suorum peccatorum la-  
buntur, & vitam ante tempus amittunt, nam  
impij & c *viri sanguinum & dolosi* (vt ait scri-  
ptura) *non dimidiabunt dies suos:* & vt ait Pro-  
pheta, *occidet sol in meridie,* hoc est, qui illis  
faiisset meridies. His duabus rationibus mei-  
psum permouebo ad non deserenda, quæ sunt

obse-

obsequij diuini, propter timorem hominum, & persecutionum eorum; nam vt non possunt vel diem vnum vel vnam diei horam ijs addere, quas Deus præscripsit: ita nec auferre poterunt contra eius ordinationem: Et si sum filius lucis, Deo placens, non est quod timeam ab hominibus cum ipse Dominus dicat, *enō. lite timere opprobrium hominum & blasphemias eorum ne metuatis: sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea. Et quis tu, vt timeas ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ita arefcet?* quasi diceret: quamuis te ipsum, & quæ à te ipso habes si respicias, est cur plurimum timeas: si autem me respicias, qui protector tuus sum & redemptor; nulla est ratio, cur timeas.

*c Isaiā 61.  
7. 12.*

## III.

His dictis manifestauit Christus suis Apostolis mortem Lazari, nō quidem statim aperte, sed paulatim & verbis, in quibus latebat mysterium: primò enim dixit *Lazarus amicus noster dormit; sed vado, vt à somno excitem eū.* quibus verbis Lazari mortem somnum appellat: non ob id solùm, quòd ipsi æquè esset facile à morte aliquem resuscitare; atque dormientem à somno excitare, (quod proborum & impiorum morti commune est) sed etiam vt discrimen assignaret inter mortem amicorum & inimicorum ipsius, nam vt is qui dormit, somno ipso requiescit; sed post viuít, vt solebat; sic f *Dei amici & dilecti*, quibus ipse *dat somnum*, moriuntur, vt requiescant à laboribus

*f Psal. 126 3*

ribus

g 2. Mach.  
7.9.14.

ribus suis; & g vt ad eam vitam resurgant, quæ eminenter vitæ nomen mereatur, qualis est *vita æterna*, in qua recipiunt gloriæ hereditatem. Inimici autem eius moriuntur, vt æternum mortui maneat, *eorum enim resurrectio ad vitam non erit*: sed ad æternam mortem.

IV.

HVIC sententiæ Christi Apostoli responderunt: *Domine si dormit saluus erit*. quasi dicerent, quod ægrotus dormiat, signum est sanitatis: non itaq; opus esse tãto labore, & cum tanto periculo ad illum excitandum accedere. In quo proponitur nobis imperfectorum hominum repugnantia, qui volunt intelligere, quod nollent facere, nisi eis valdè proponatur: & nunquam illis deest aliquid, quod ad se excusandos arripiant, ne, quod Deus & eius ministri præscribunt, exsequantur. Vt hic apparet: Apostoli enim, ob repugnantiam, quam sentiebant eundi in Iudæam, existimantur Christum propriè de somno locutum: cum fuisset facilè intelligere, ipsum non suscepturum illud iter, vt eum, qui proprie dormiret, tantum excitaret. *Tunc ergo IESVS dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est: & gaudio propter vos, vt credatis*. Ostendit autem his verbis, quanti faciat vt fides nostra, & virtus nostra crescat. siquidè gaudere se dicit de morte Lazari, vtpotè ex qua fides discipulorum esset incrementum susceptura. Et quamuis Apostoli hoc antea crederet, nihilominus dicit, *vt credatis*: docens nos hic quandam virtutis exerci-

erci-

citationem, feruentium iustorum propriam; qui singulis rationibus, quibus Deus sua mysteria illis reuelat, denuo credunt, ac dicunt: si huc vsque Domine, non credidissem; nunc credidissem denuo: sed renouo tamen fidem meam. Eadem ratione perfectus religiosus sepius iterat sua vota, atque si tunc recens illa redderet Deo, dicens: si haecenus castitatem non promississem, nunc promitterem; sed iam denuo illam promitto.

DENIQUE videns Thomas firmum Christi decretum, dicentis: *eamus ad eum* respondit magno spiritus feruore conuersus ad discipulos: *eamus & nos, vt moriamur cum eo*: atque si exhortans diceret, ne magistrum nostrum deseramus; sed idem cum eo subeamus periculum: & moriamur vbi ille morietur. Ostendit autem magnum feruorem in duobus: primum, quod se ad moriendum cum Christo obtulit: secundum, quod suos discipulos fuerit ad idem exhortatus, simul vtrumque charitatis actum, Dei scilicet, & proximi exercendo; plus Christum, quam propriam vitam amando; & proximum, vt eodem modo illum amet, prouocando. O supreme Magister: en offero me ire & mori tecum, si id opus erit, antequam te deseram

*h mihi enim viuere tu es; & pro te  
mori lucrum.*

*h Phil. i. 21.*

## PUNCTVM IV.

a Ioan. 11. 17

**V**ENITA itaque IESVS in Bethaniam: & inuenit Lazarum quatuor dies iam in monumento habentem: Martha ergo audiuit, quia IESVS venit, occurrit illi, & dixit: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Quasi diceret: si presens fuisses, infirmitatem eius tempestiuè auertisses. In quo proponitur nobis, sicut Lazarus infirmus, & mortuus est, absente Christo: ita cum nobis abest, cum faciem suam nobis abscondit, nec fauoribus spiritualibus de more nobis afficit, solere pullulare animi nostri perturbationes & tentationes, infirmitatesque tepiditatis, ac imbecillitatis spiritualis, quæ interdum perducant nos ad mortem culpæ: quando autem ipse IESVS presens est, omnia illa cessant; quia suam ipse presentiam illa auertit. O Redemptor mi, b

I.

b Psal. 118. 8.  
Ex Cassian.  
Colla. 4.  
c. 6.

Non me derelinquas usquequaque: non id peto, ut me interdum non deseras, ut prober; sed ne usquequaque, & ita, ut succumbam.

II.

ADIECIT mox Martha. Sed & nunc scio, quia quacumque poposceris à Deo, dabit tibi. Quo verbo paruum de Christi diuinitate fidem se habere ostendit: quasi necesse Christo esse per orationem à Deo impetrare, quod esset facturus. Ideoque prius, quam ad miraculum edendum veniret, voluit illam Marthe perfectionem emendare, inter alia dicens: Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. & omnis qui viuit & cre-

dit

dit in me; non morietur in æternum. Ego, inquit, Author sum resurrectionis animarum, quæ ob admissam culpam sunt mortuæ, dans eis gratiæ primùm, deinde etiam gloriæ vitam. Sum etiam Author resurrectionis corporum mortuorum, reddens eis, quando & sicut ego volo, amissam vitam, & quidem multò perfectiorem, quàm illa fuerit amissa, & qui fide viuâ hoc crediderit, non morietur in æternum. *Credisne hoc?* Illa magno feruore, quasi paruam suam fidem perficere volens, & pudore suffusa, quòd paruam primùm ostendisset. *Vtique, inquit, Domine, ego credidi, quia tu es CHRISTVS filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Et porrò quòd sis resurrectio & vita, & possis fratrem meum resuscitare: non solum orando tanquam homo; sed imperando vt fiat, tanquam Deus. Ex quo apparet, veros Christi discipulos dociles esse & faciles ad suos corrigendos errores: ex quibus ansam accipiunt ad novos actus edendos eius virtutis, in qua se defecisse aduertunt; quòd præteritos defectus instaurent & reparent.

M O X perpendam Christi Redemptoris charitatem, & sollicitam curam, quam de illis gerit, qui ipsum diligunt. Nam cum Lazarum resuscitare decreuisset, voluit Mariam interesse miraculo, in præmium feruentis amoris, quo ipsum prosequabatur, & ipsi seruebat: vt hac ratione noua ei offerret excitamenta in eodem amore proficiendi: cùm

III.

III. Part. Medit.

Hh

clarif.

clarissima videret miracula, & recentia sentiret beneficia. Ideoq; per Martham ei nuaciarum curauit de suo aduentu, & vt ad se illa veniret: Id quod Martha mox præstitit. *Silentio ei, dicens: Magister adest, & vocat te:* & illa vt audiuit, surrexit cito, & venit ad IESVM: & videns eum cecidit ad pedes eius, & dicit ei: *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.* In quo facto tres insignes virtutes manifestauit Maria.

*Prima* fuit O B E D I E N T I A prompta, ad punctum, & comis, quæ ex magna, quam de Christo habebat, existimatione fuit orta. statim enim atque eum adesse cognouit, vt audiuit, surgit citò, & nec vale factis iis, qui cum ipsa erant, aut aliis adhibitis cæremonijs, quæ illam poterant remorari, venit ad IESVM; sic nos instruens, ad nutum nos accingere ad Dei *Gal. 2. 16.* uocationem, c non acquiescentes carni & sanguini aut aliqua eius habita ratione.

*Secunda* virtus fuit insignis erga IESVM REVERENTIA: nam statim atque illum vidit, cecidit ad pedes eius, nihili faciens, quòd multi Nobiles ex Iudæa præsentibus essent, qui eum oderant, grauiusque ferebant, siquid illi honoris deferretur. Et in hoc etiam Martham sororem suam superauit, de qua nihil tale scriptum legitur.

*Tertia* virtus fuit maior multo FIDES, quàm fuerit sororis, magnâ etiam adiunctâ resignatione. Plena enim amoris & doloris dixit: *Domine, si fuisses hic, non esset mortuus*

frater

*frater meus.* Non tamen adiecit, quod Martha: ut circa Christi diuinitatem magis esset instructa, ex audita ad eius pedes aliàs tali doctrina. Et hæc adeo beneuola & amoris plena resignatio, non petens fratris resuscitationem; sed eius prouidentia charitati que illam relinquens, potens fuit, eandem impetrare. Et ideo Ecclesia in Oratione eius festi, fratris resuscitationem eius precibus tribuit: *Cuius precibus, inquit, exoratus, Lazarum resuscitasti.* Ex quo intelligam, quanto plus apud Christum valeant amoris affectus, quam verba proluxa. Ut autem ipsa Maria in puncto & ad nutum Christo obediuit; ita ille fuit promptus, & ad nutum audiuit eius desideria, & impleuit petitionem.

DENIQUE Mysterium perpendam vtriusque sororis Marthæ & Mariæ, quæ vtramque vitam Actiuam & Contemplatiuam referunt; quæ ad conuersionem & resurrectionem peccatorum concurrunt. Prædicatio enim, Oratio, & Contemplatio bene ut sorores conueniunt ad eam rem. Nec contentus est CHRISTVS, qui principalis est talis resurrectionis author, eam exequi iacuitu solius Marthæ; sed vult adesse Mariam; ut Euangelij Ministri intelligant, necesse esse verbis suis etiam Orationem adiungere; & Concionibus, earundem Meditationem, & Contemplationem: quò fructum ferant. Ac denique ut in hoc miraculo plus Maria effecit, quàm Martha; sic sæpè humilium & feruentium oratio plus efficit, quàm

IV.

H z

verba

verba Concionatorum eruditissimorum: ut hinc animum omnes sumamus, ad fundendas pro peccatoribus preces: cum videmus Christo Domino placere, quod Maria oret, ploret, & gemens talia petat.

## PUNCTUM V.

I.

CONSIDERA hic præstantia illa, quæ Christus edendo miraculo præmisit.

Nam *primò infremuit spiritu*, & ingemuit, externis editis interni doloris signis; se ipsam turbatum, & suspiria trahentem ostendens: idque bis hic præstitit. Nam semel fleuit, videns Mariam & circumstantes flentes: *a Rom. 12. 15* quia officium est charitatis *a flere cum flentibus*: & cum ipse Christus sit ipsamet charitas & misericordia, non decebat charitatis legibus eum deesse. Iterum ingemuit ex commiseratione ipsius mortui; & ob peccatum, *b Rom. 5. 12.* *quod mors introducta est in mundum*: ibi enim occurrit eius menti, quàm caro ipsi constitutum esset, mortem ipsam & peccatū destrueret: nam eam ob causam etiam se mortem obitutum; & corpus suum in simili sepulchro ferali amictu obuolutum reponendum; animam verò ab eo separatam descensuram ad lymbum. Lacrymatus quoque est & ingemuit ex commiseratione Phariseorum, qui aderant; eo quòd essent tantum miraculum calumniaturi, & ex eo accepturi occasionem, ipsi mortem inferendi. Propter hæc omnia

Lacry-

*Lacrymatus est IESVS. Utinam adfuissem, vt Iesu lacrymas colligens oculos meos eisdem vngerem; & illi in fontem lacrymarum conuerterentur, quæ ipsius Iesu lacrymis coniunctæ, peccatorum meorum maculas abluerent, & gratiæ vitam mihi redderent, quam propter illas amisi. O dulcis IESV ob lacrymas tuas, donum mihi da lacrymarum,*

SED expendenda tamen sunt varia iudicia, quæ circumstantes de his Christi Domini lacrymis fecerunt. Sinceriores enim, ex amore & commiseratione ortas interpreta-  
bantur, dicentes: *ecce quomodo amabat eum, siquidem homo adeo grauis, eius causâ plorat.* Alij iniquiores eas calumniabantur, dicentes: *si eum tantoperè amabat, non poterat, vt aperuit oculos cæci nati, ita efficere, vt hic non moreretur?* Ex quo intelligam, quàm errent hominum iudicia; & quàm flocci sint illa facienda: siquidem vnum & idem opus alij probantes laudant; alij calumniantes reproband. Quo exemplo meipsum solabor, si aliqui meas lacrymas & pietatis opera, quæ ex Dei voluntate amoreque presto, interdum calumniabuntur.

IUSSIT deinde Christus, *Tolli lapidem,* qui ad portam erat sepulchri; vt omnes demortui cadauer viderent. Et licet solo verbo lapidem amouere potuisset, id non fecit, nollens in iis miraculum edere, quæ homines præstare possent; sed in eo, quod eorum vires & facultatem excedebat. Obseruandum est au-

II

tem & illud, quòd Martha bono zelo impedire voluerit, ne lapis tolleretur, dicens: *Domine iam foetet, quatrduanus est enim.* Vbi insinuatur, nostros interdum amicos & cognatos, amoris quodam prætectu nobis impedire bonum spirituale: contendentes apud nos ne talia & talia, quæ bonum illud impediunt, remoueamus.

III.

LAPIDE sublato, *eleuauit* IESVS *sursum oculos*, vnde vita mortuo illi erat descensura: vt me doceret mearum miseriarum remedium non in eo esse, vt eas confusè & quasi in cumulo, aut lapidibus dealbatis coopertas aspiciat; sed discoopertas, peccatorum meorum foetorem hauriens; & mox oculos ad Deum leuans, à quo veniet remedium mihi, supplex illud petenti. Et adiecit: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me: Ego autem sciebam, quia semper me audis: Sed hæc dixi, propter populum qui circumstat: vt credant, quia tu me misisti.* Hoc fuit autem Christo familiare & proprium, gratias Patri agere ante, quam miraculum ederet: tanquam qui esset certus, Patri gratum esse, vt illud ederet. Et hoc beneplacitum, & voluntatum conformitatem vocat Christus *Exaudiri* se. Sed simul nos docet, si nouas gratias & dona à Deo petimus, inchoandum nobis esse à gratiarum actione ob prius accepta: hac enim ratione disponimur, ad noua recipienda.

## PUNCTVM VI.

**H**ÆCA CUM DIXISSET, VOCE MAGNA CLAMAVIT: LAZARE VENI FORAS. atq; si cum procul inde existente loqueretur, ut reipsa Lazari anima tunc erat remotissima, (quia fas est credere, eam in Lympo fuisse) hac vocis suæ exaltatione & clamore etiam referens, *b* Tuba illius tremendæ sonitum, quo mortui omnes ad iudicium sunt vocandi. Et quoniam magno imperio dixit: *Lazare veni foras*, in momento eius anima ex loco, in quo erat properavit, ut suo corpori cōiungeretur; & corpus vivū prodiit ex sepulchro sicut erat ferali amictu opertū, vultu verò sudario velato: ut miraculi magnitudo magis eluceret, cum mortuo & foetido iam corpori vita, & perfecta sanitas, & motus ac gressus proprius etiam ligato manibus & pedibus, simul sunt reddita, & quanvis solvere illum potuisset etiā imperio, id tamen non fecit, sed *iussit* discipulis, *ut soluerent, & abire sinerent*: ut ijdem miraculi testes essent, qui illum soluerent.

a Ioan. 11.  
43.

b 1. Corint.  
15. 52.

Ex his omnibus concipiam affectus admirationis, & exultationis ob Christi Domini omnipotentiam, ut proximis meditationib. sæpe monuimus. Nominatim verò in ipso Lazaro cōsiderabo peccatorem aliquem, qui prius erat iustus; sed Deo se probationis eius causa subrahente, non bene illi successit probatio: nam primū, tepori loco cōcesso, ægrotavit; & paulò post, culpæ cōsentiens, mortuus est;

& quoniam rerum terrenarum affectionibus se se dedit, etiam sepultus est, & in eis submersus: denique cecidit super ipsum lapis duritatis cordis, ob longam in peccando contractam consuetudinem. Ac demum foetidus redditus est, ob exemplum prauum aliis datum, quos scandalizauit. Ex quo prouenit, ut nec ipse Christum inuocet, qui auxilium ferat; nec vlla huius cura illum tangit. Sed pergens considerabo quam sit proprium iustorum, affectu fraterno Deum pro peccatoribus orare; & ipsius Christi, eorum preces exaudire; & ad illos resuscitandos pro gloria sui Patris accedere: manifestans in hoc interno verbi sui, inspirationis videlicet, efficacitatem, ad illos rediuuos ex ipso sepulchro, abominandis scilicet peccatis educendo: ut propterea de nullius conversione, quantumuis deplorati, desperemus. Sed tamen ut Lazarus uiuus quidem prodiit ex sepulchro, quamuis *ligatus institis*, quæ Apostoli soluerunt: ita peccatores ad gratiæ vitam quidem resuscitantur; sed præteritæ vitæ peccatorum reliquijs deprauatisq; moribus adhuc ligati tenentur: à quibus tamen postea Confessariorum industriâ & directione soluantur, & liberantur: quia huiusmodi Ministris Christus vices suas etiã ad id reliquit, sicut Apostolo Petro promisit, ut sacramentalis Absolutionis voce soluerent peccatores, quos ipsemet internæ inspirationis voce excitat; ut sua cõfiteantur peccata. O potentissime Saluator, siquidẽ opera tua perfecta sunt;

c *Matt. 16.*  
19.

sunt; & me viuentem à sepulchro eduxisti peccatorum; libera etiam ab institis, quæ ex eis remanserunt. Non refugio tuos ministros pro auxilio accipiēdo accedere: sed tuum tamen imploro, vt per eos liber sanusq; maneam. Amen.

## MEDITATIO XLII.

DE CONCILIO PHARISÆORUM aduersus Christum, in quo Caiphas decretum tulit eius mortis.

## PUNCTVM I.



VIDAM ex Iudæis, qui a Ioh. 11. 46 Lazari resuscitationi interfuerunt, abierunt ad Phariseos, & dixerunt eis, quæ fecit Iesus. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisei concilium, & dicebāt, quid

facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani & tollent locum nostrum & gentem.

PERPENDENDVM hic primùm quam abominandi sint illi, qui seipso odij, & inuidiæ vitij subdiderunt! prætextu propriij honoris & interesse. Siquidem tales ex miraculis, & præclarissimis Christi facinoribus, grauio-